



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. An spinæ fuerint, ante hominis peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

diaboli, quàm epulum DEI. Itaque arbo-
rem vitæ amisit, quando ad illud lignum,
curiosas manus extendit, quod serpens ve-
nenavit. Aiunt, non procul à Malaca ar-
borem nasci, cuius radices cum multa
sint, in varias dispersæ partes, diuersos effe-
ctus sortiuntur. Quæ enim ad orientem
spectant, antidotum præbent aduersus ve-
nenum quodlibet, febrésque pellunt; ali-
ásque ægritudines: at quæ vergunt ad oc-
casum, ipsissimum venenum propinant.
Tales arbores vitæ, & mortis mundi Opi-
fex posuit in Paradiso. Cur homo, Orien-
te neglecto, vertit se ad Occidentem? Si
sudet ad aratrum; habet, quod elegit. Si
terram labore subigit; habet, quod elegit.
Si vescitur pane duro; habet, quod elegit.
Si spinas sentit; habet, quod elegit. Si mor-
tem timet; habet, quod elegit; cur vivere
recusavit? Eligit enim pœnam, quisquis
cum electione ruit in culpam.

§. V.

An spina fuerint, ante hominis peccatum?

Itaque justus DEVS, qui terram in vsus
& delicias hominis condiderat; eandem il-
li reo in pœnam conuertit. *Quia audisti vo-
cem vxoris tue, ait, & comedisti de ligno, ex
quo*

Histor.
Si. p. 4. 17.

Gen. 3.

quo praeceperans tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitae tuae. Spinas & tribulos germinabit tibi. Vbi sensus non est, primum, post delictum Adæ, spinas & tribulos, & lolium, & aconita, & alias plantas venenatas, in pœnam scilicet præuaricatoris, crescere cœpisse, rosasq; ab initio, sine aculeis, enatas. Si enim serpentes, in Paradiso fuerunt, & animalia virulenta, cur nõ & rubi, & spini, & rosæ hamis septæ extitissent? Non mutauit peccatum primi parētis, naturales hominum proprietates; cur mutasset proprietates rosarum, aliarumque plantarum? Et pertinebant vtique omnes herbarum, arborumq; species ad perfectionem vniuersi. Quo pacto igitur ait summa Veritas: *Spinas & tribulos germinabit tibi terra?* Nimirum, sicut antè, quàm homines ceterasque animantes conderet DEVS, plantas bonas procurauit, vt hominibus ceterisq; animantibus paulò post extituris essent in cibum; ita quoque prospiciens hominis delictum, in futuram peccati illius pœnam, rosam cum spinis, tribulosque, & noxias herbas, ac virulentas bestias produxit; quæ omnia homo, si nõ peccasset,

casset, liquidò dignoscere, &, ob dominij, scientiæ, prudentiæ, diuinæque protectionis plenitudinem, aliásq; causas, sine vllò incommodo, deuitare potuisset: post lapsum autem hæc illi in pœnam facta sunt, quia incautiùs vitauit, & sæpius permissus est in ea præcipiti cæcitate incurrere.

§. VI.

Ab homine, hominis malum ortum.

Itaque, qui terræ miserias accusatis: *Audite verbum Domini, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inunda- uerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cali.* *Amos, 4.*
Nemo nescit culpam esse pœna peiorem: cum peccatum sit verè & vnde quaque, aut, vt loquuntur, absolutè malum; pœna autem secundùm quid duntaxat, & ei, qui eam sustinet; in se autè iustitiæ opus; quod alijs est in exemplū virtutis. Igitur imeritò Deum accusatis, si terrā finit esse spinosam, quam vos ipsi sceleribus repletis, veris, magnis, detestandis malis. *Quæ seminauerit ho-* *Gal. 6. 8,*